



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **FACTUS EST*** VENERABILIBUS DEI SERVIS ANDREAE DE SOVERAL, AMBROSIO FRANCISCO FERRO ET XXVIII SOCIIIS MARTYRIBUS BEATORUM HONORES DECERNUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — « Factus est Dominus fulcimentum meum; et eduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me » (*Ps 18, 19-20*). Dei virtutem, quae potissimum in humilibus manifestatur, perculiari vi experti sunt Andreas de Soveral, Ambrosius Franciscus Ferro eorumque XXVIII Socii, qui, Spiritu Sancto roborati ac christiana spe illuminati, suam vitam pro Christo tradere atque summam caritatis testificationem reddere non dubitarunt, praemium sic adipiscentes quod Dominus, iustus iudex, eis servavit. Dei Servi hi, Brasiliae protomartyres ipsique archidioecesis Natalensis participes, quae in septentrionali-orientali plaga reperitur, suo sanguine Evangelii semen fecundum reddiderunt, quod missionarii largiter illas inter gentes diffuderant. Eorum sacrificii auctores Calviniani Batavi fuerunt, qui solum illud obtinentes, pedetemptim catholicis religionis cultusque ademerunt libertatem et eos saeva persecutione insectati sunt. Primus fidei clarorum testium manipulus die XVI mensis Iulii anno MDCXLV morte occubuit. Dies illa dominica fuit atque fideles in templum convenerant alicuius oppidi *Cunhaú* vocati, quod LXXX fere chiliometra abest a Natalensi urbe. Parochus Andreas de Soveral, et ipse Brasiliensis populi filius, Missam celebrabat, cui LXIX ferme homines, vel pauciores alia ad historica documenta, intererant. Post panis vinique consecrationem, milites et Indi omnes ianuas clauerunt omnesque effugii templi aditus intercluserunt atque repente inermes fideles necare coeperunt, qui violentiae illatae obstiterunt, sed cum eos senex pastor cohortaretur, precantes martyrum ex voluntate susceperunt. Eorum nomina, praeter Andream de Soveral presbyterum et Dominicum Carvalho laicum, haud sunt tradita. Reliqui Dei Servi coronam vitae die III mensis Octobris eiusdem anni in loco quodam *Uruaçu* appellato sunt consecuti. Ante quam necarentur crudelissime ii sunt cruciati, sed a fide catholica deficere noluerunt. Ambrosius Franciscus Ferro, Natalensis parochus, peculiari saevitia est vexatus, cum Christi esset minister. Inter eos qui sunt interempti, ex quibus complures ad ipsius paroeciam pertinebant, laicus quidam eminuit, Mattheus Moreira, qui, cum carnifices a tergo eiusdem cor eruerent, suam erga sacram Eucharistiam fidem proclamare valuit, dicens: « Laudatum sit Sanctissimum Sacramentum ». Ex iis qui morte occubuerunt haec traduntur nomina: Antonius Vilela iunior, Iosephus do Porto, Franciscus de Bastos, Didacus Pereira, Ioannes Lostau Navarro, Antonius Vilela Cid, Stephanus Machado de Miranda, Vincentius de Souza Pereira, Franciscus Mendes Pereira, Ioannes da Silveira, Simon Correia, Antonius Baracho, Ioannes Martins ac septem Socii, Emmanuel Rodrigues Moura eiusque uxor, filia quaedam Antonii Vilela iunioris, filia Francisci Dias iunoris, duae filiae Stephani Machado de Miranda. Insignis horum triginta martyrum testificatio saeculorum decursu oblivione haud est extincta. Beatificationis Causa seu martyrii declaratio ab Archiepiscopo Natalensi anno MCMLXXXIX incepta est. Suetis inquisitionibus historicis ac theologicis felici cum exitu absolutis, apud Congregationem de Causis Sanctorum, Nobis coram Decretum super martyrio die XXI mensis Decembris anno MCMXCVIII prodiit. Statuimus igitur ut beatificationis ritus die V mensis Martii iubilaris Anni bis millesimi Romae celebraretur. Hoc igitur die in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Hectoris de

Araújo Sales Archiepiscopi Natalensis, Michaëlis Cardinalis Michai Kitbunchu Archiepiscopi Bangkokiensis, Alexandri Kaszkiewicz Episcopi Grodnensis Latinorum, Richardi Cardinalis Vidal Archiepiscopi Caebuani, et Pauli Iosephi Pham Dinh Tung Archiepiscopi Hanoiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Andreas de Soveral, Ambrosius Franciscus Ferro et viginti octo Socii, Nicolaus Bunkerd Kitbamrung, Maria Stella Adelaidis Mardosewicz et decem Sociae, Petrus Calungsod et Andreas a Phù Yên Beatorum nomine in posterum appellantur, eorumque festum: Andreeae de Soveral, Ambrosii Francisci Ferro et viginti octo Sociorum die tertia Octobris; Nicolai Bunkerd Kitbamrung die decima secunda Ianuarii; Mariae Stellae Adelaidis Mardosewicz et decem Sociarum die quarta Septembbris; Petri Calungsod die secunda Aprilis; et Andreeae a Phù Yên die vicesima sexta Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Cunctis hominibus fulgentia exhibent exempla paeclari hi martyres, unde catholica fides et probandaque opera usque proferantur et quam plurimos homines ubique terrarum attingant, quo cuncti supernis firmati praesidiis, salutifera Domini dona et Evangelii beneficia prolixius adipiscantur. Quae autem decrevimus, volumus nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non officientibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Martii, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

De mandato Summi Pontificis
ANGELUS card. SODANO

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 6, pp. 340-342

© Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana